

utraque pars tali casu in suis scriptis omnia ea exacte adducenda habet, quibus hæc subscriptionis veritatem probare, altera vero infringere intentet.

§. 163.

Eodem modo e circumstantiis quoque di-
judicandum est, quanta Fides comparationi
litterarum tribuenda sit.

C A P U T XIV.

De probatione ordinaria per Testes.

§. 164.

Nemo probationem per testes sub defluo Processu instituere potest, nisi is, cui eadem a Judice per sententiam admissa fuerit, extra judicialem tamen sive collateraleni inquisitionem, natura Causæ id exigente, institue-re imposterum quoque licet: illa tamen testimoniī scripti solummodo vices supplet, hinc-que sub Juramento excipi non potest.

§. 165.

§. 165.

Ad plenam probationem, si ea solum per Testes confienda sit, requiritur consentiens depositio duorum Testium omni exceptione majorum; si tamen aliæ simul probationum species, licet per se non sufficientes adductæ fuerint, unius etiam Testis integri depositio probationem complere potest.

§. 166.

Quoties probatio per Testes ab una vel altera Parte oblata, sive sola, sive cum aliarum Probationum simul adductarum subfido plenam fidem meritura est, siue circumstantiae probandæ Litem decidant, eadem offerenti per sententiam semper injungenda est.

§. 167.

In hac sententia id, quod in probationem venturum est, accurate definiendum, simul vero a judice clare explicandum est, quinam e Testibus nominatis ad Testimonium admittendi, et quinam ab eodem arcendi sint; neque minus, super quibus articulis probatorii

Testes audiendi, et qui e contrario in probatione admiscendi non sint: in quo judex illos solum Testes, qui vel juxta præscriptum sequentis §. rejiciendi, vel non nisi super articulis nullius momenti propositi essent, repellere, atque illos solum articulos probatorios, quorum ratio non habenda omittere, quoad ipsos vero articulos in sententia duntaxat numerum cujuscunque articuli admissi vel rejecti exprimere debet.

§. 168.

a) Ii, qui ob animi vel corporis sui statum indubiam veritatem adsequi non potuerunt, vel eam indubitate manifestare nequeunt: et quod consequens est, etiam impuberis minores annis 16. b) Damnati propter crimen publicum, quod ex dolo (id est animo alicui inscio damnum inferendi) vel ex Lucrificiendi proposito ortum fuerit, iis actibus exceptis, ad quos qua Testes, antequam in criminalem inquisitionem inciderint, adhibiti fuerint,

qua

qua Testes adduci nequeunt, adducti vero simpliciter rejiciendi sunt.

§. 169.

Si *a)* consanguinei in linea ascendentī, & descendēntī, *b)* collaterales, uti & affines usque ad secundum Gradum inclusivē *c)* Conjugēs. *d)* Ii, qui in eadem causa ei, cui probatio incumbet, Patrocinium in Judicio præstiterint, vel adhuc præstant. *e)* Qui a causa commodum, vel damnum immediate, vel mediate sibi expectant, *f)* Famulus vel Ancilla pro Domino vel Domina, quamdiu in famulatu penes eundem, vel eandem sunt, *g)* Judæus pro Judæo adversus Christianū, *h)* Ii, quibus cum parte adversa graves intercedunt Inimicitiae, *i)* omnes damnati de crimine publico, quod non ex dolo, vel lucri studio commissum fuerit, qua testes adducentur, tunc illi in causis, quarum Indoles adhibitionem aliorum testimoniū nulli exceptioni subjectorum admiserit, rejiciendi sint, quantum autem fidei illis in causis familiaribus, dome-

sticis, incognitis, aut quarum Indoles pro-
curationem aliorum testium non admisit, haben-
da sit, ex rerum circumstantiis dijudican-
dum venit.

§. 170.

Ii, qui ob publicum delictum Inquisitio-
nem criminalem subierint, suam vero Inno-
centiam plene probaverint, sunt testes inte-
gri, si vero tantummodo ob defectum suffi-
cientium probationum absoluti, ac dimissi
fuerint, suspecti habendi sunt.

§. 171.

Quantum fidei testi suspecto, seu vitioso
tribuendum sit, Judex ex omnibus circuni-
stantiis accurate perpensis cognoscito.

§. 172.

Is, cui probatio per testes injuncta fuerit,
si neutra Pars a sententia appellationem, aut
revisionem insinuaverit, triduo post lapsum
Termini ad talem insinuationem præscripti
probationem inchoare debet, secus eadem per-
mitta esto.

§. 173.

§. 173.

Hunc ad finem articulos probationis porrigere, testes nominare, & apud singulos adnotare debet, super quibus articulis quemque audiiri velit, ac denique petere, ut pro examine testium dies, hora, & locus adsignetur.

§. 174.

Articuli probationis in id, quod probandum erit, definite, perspicue, ac omni cum brevitate dirigantur; circumstantiae vero ad rem non pertinentes, non admisceantur; neque articuli super juribus, vel obligationibus partium, sed super solis circumstantiis facti proponi possunt.

§. 175.

Unusquisque articulus unicam circumstantiam facti complecti debet;

§. 176.

Præter jam exhibitos articulos probationis alii additionales non recipiantur, atque adeo probatio, seu positio additionalis admittenda non est: quod tamen ad illas cau-

fas extendi non debet, ubi in replica, & duplica, nova probationis media adferri admittuntur.

§. 177.

Si testes nominati jurisdictioni Judicis, coram quo lis erit, immediate subjecti sint, is diem judicialem pro examine ad terminum circumstantiis accommodatum, qui tamen nisi circumstantiae id absolute exposcant, 30 dies non excedat, præstituito, & quidem peræque sive ipseniet, sive per delegatum testes auditurus sit.

§. 178.

Adsignatio diei una cum articulis probationis parti adversæ intra tres dies per apographum transmittenda est, quo facto eidem parti integrum esto, interrogatoria sua specialia die statuto porrigere; si vero non porrexerit, testes nihilofecius examinandi, neque interrogatoria ulterius recipienda sunt.

§. 179.

§. 179.

Interrogatoria generalia haud alia admittenda sunt , nisi sequentia : *a)* quale sit nomen , & cognomen testis ? *b)* Cujus sit ætatis ? *c)* Cujus status , possessionis , vel dignitatis ? *d)* an producenti consanguinitate vel affinitate junctus ? *e)* quo gradu ? *f)* an gravem inimicitiam contra partem adversam gerat ? *g)* quam ob causam ? *h)* an a lite commodum sibi expectet , vel damnum metuat ? *i)* in quo commodum vel damnum consistat ? *k)* an testimonii gratia sibi aliquid promissum vel datum fuerit ? *l)* quid , & a quo ?

§. 180.

Si nulla interrogatoria producta fuerint , is , qui testes examinare debet , supra præfinita interrogatoria generalia unicuique testi ex officio proponito , & ad quemvis articulum , ad quem testis affirmando responderit , eundem interrogato , unde hoc sciat ? neque ad responsum

ambiguum : veluti quod testis ipse met conscientius sit, et similia, adquiescito.

§. 181.

Ut ratio clare scientiae proferatur, etiam tum insistendum est, si interrogatoria porrecta fuerint: testis enim, qui super aliqua circumstantia rationem scientiae non adduxerit, super eadem fidem non meretur.

§. 182.

Si testes jurisdictioni Judicis, coram quibus erit, immediate subjecti non sint, is super supplici libello una cum articulis porrecto Mandatum, vel literas requisitionales ad Judicem, cuius jurisdictioni testes suberunt, dirigendas, eum in finem concedat, ut hic promissa sibi expensarum refusione, testes nominatos interroget, eorumque depositionem transmittat: idcirco testes producens tot exemplaria articulorum una cum supplici libello porrigeret debet, quot erunt Judices, a quibus testes pro suo cujusque foro examinandi erunt.

§ 183

§. 183.

Decretum hujus concessionis una cum apographo articulorum parti contrariæ intra tres dies transmittendum; hæc vero interrogatoria sua super iisdem ad summum intra 14. dies porrigere debet, Mandato , vel literis requisitorialibus una cum articulis postea ad- jungenda.

§. 184.

Si pars adversa interrogatoria mox dicto termino non porrexerit ; Mandatum , vel li- teræ requisitoriales , seclusa ulteriori mora una cum articulis ac interrogatoriis §. 179, recen- sitis , atque ex officio proponendis , Judici, ad quem spectabit , transmittantur.

§. 185.

Judex qui mandatum , vel literas requisi- toriales acceperit , testes , quin partes liti- gantes , siquidem loco remoto a loco judicij degant , citentur , ex officio advocare , eo- rundem depositiones recipere , ac receptas judici causæ statim transmittere debet ; partes

autem ad audiendum , & videndum jurare testes , vel ipsæmet , vel per Procuratorem comparere possunt.

§. 186.

Si examen in iis casibus , in quibus testes jurisdictioni ejusdem judicis subjecti sunt , intra 14 dies , ex quo testes juramentum præstiterint , nondum absolutum fuerit , vel ex parte testium alienæ jurisdictioni subjectorum mora intercederet , producens id judici , coram quo lis erit , indicare , hic vero vel præcepto pœnam comminante , vel relatione ad judicem superiorem illius , a quo testes examinandi sunt , facta procurare debet , ne examen ultro differatur.

§. 187.

Quicunque ad dicendum jurato Testimonium a legitimo suo judice citatus fuerit , parere debet , si occurret ignobilis , pœna quidem pecuniaria , aut corporali , nobilis vero legali 16 Marcarum , id est 64. florinorum multa ad id compellendus est.

§. 188.

§. 188.

Quilibet testis per legem ab obligatione testimonii sui jurejurando confirmandi non exemptus, ante examen, ac prævie de perjurio admonitus jurare debet, se super eo, de quo interrogatus fuerit, veritatem absque omni mentis restrictione, & ambiguitate, atque in neminis favorem, aut odium fassurum, nihil, quod iciat, taciturum, & fassiones suas nemini patefacturum, antequam ab ipso publicata fuerint.

§. 189.

Admonitio de perjurio prudentiæ judicis relinquitur, qui eam pro personarum conditione instituere debet.

§. 190.

Sub ipso juramenti actu, jurans, sive ecclesiasticus sit, sive laicus, vir denique, aut fœmina pollicem, ac priores duos digitos manus dextræ erectos teneat.

§. 191.

Nemini alia jurandi formula uti liceat nisi sequenti: Ita me Deus adjuvet; circa Ios Judæos receptus, hucusque jurandi modus, deinceps quoque observandus est.

§. 192.

§. 192.

Examen uniuscujusque testis remotis partibus, & contestibus peragendum, depositiones vero, quantum fieri poterit, suis cujusque verbis scripto excipientur, & unicuique finito examine ad legendum tradantur, vel saltem prælegendantur, inde iisdem testis subscribere, si vero scribendi imperitus esset, aliquod signum manus propriæ apponere, atque alias ipsius nomine subscribere debet,

§. 193.

Si Testis sub präelectione depositionis suaæ aliquid de ipsa mutaverit, vel eidem aliquid adjunixerit, id ad calcem scriptæ depositionis propriis loquentis Verbis adnotandum est; de ipsa vero prima depositione nihil mutari neque eidem quidquam adjungi potest.

§. 194.

Testibus, qui in loco examinis degunt, nihil porrigendum est, nisi operarii essent, in quo casu iisdem jactura temporis Judicis arbitrio compensanda est; ibidem vero non habitantibus

tibus sumtus vecturae, siquidem hanc testis conditio, aut valitudo exigat, persolvendus est, & diurnæ moderatæ, quas Judex, a quo examen suscipiendum, præfinire debet, a producente præstandæ sunt.

§. 195.

Testes in judicio Testimonia sua depo-
nant; prudenti tamen Judicis Arbitrio relin-
quitur, quibus Testibus ob adversam valetu-
dinem, vel alia gravi de Causa permitten-
dum sit, ut Domi suæ examinentur.

§. 196.

Quoties uni Parti probatio per Testes in-
jungitur, parti adversæ probatio in contra-
rium, si quam gravioris momenti obtulerit,
reservanda est, eadem tamen intra 14. dies a
diē, quo articuli probationis illi transmissi fue-
rint, institui debet; secus vero peremta esto.

§. 197.

Probatio in contrarium eodem, quem
in probatione servari oportet, ordine, ac
modo instituenda est.

§. 198.

§. 198.

Testium, qui in articulis nominati fuerint, examine peracto, ac exceptis eorum fassionibus, id medio schedæ quotidie in domo Judicaria publice affigendæ iis, quorum interest, notum reddatur; ac proinde parti utriusque integrum esto, apographa earum desumere, super quibus dies, in quo edita fuerint, a Cancellaria adnotari debet.

§. 199.

His perfectis is, qui testes produxerit, petere quidem illico potest, ut Acta in rotulum redigantur, ac super iis sententia feratur, eidem tamen si velit, integrum est, scripturam probatoriam conficere, hæc vero intra 14 dies a die, quo Apographa fassionum in domo Judicij præsto fuerint, computandos porrigi debet, secus non amplius admittenda.

§. 200.

Si is, qui testes produxit, scripturam probatoriam debito tempore porrexerit, ea-
dem

dem adversario pro responfione communicetur, hæc autem intra 14 dies præsentanda est, etiam si scriptura probatoria ab eo, qui testes produxit, porrecta non fuerit, adversario nihilominus integrum est, scripturam pro adminiculis, quæ sibi e fassionibus testium enata esse existimabit, deducendis exhibere, super eadem is, qui testes produxit, amplius audiendus non est, hæc tamen scriptura intra 14 dies a lapsu Termini, qui testes producenti pro scriptura probatoria adsignatus fuerit, numerandos porrigi debet.

§. 201.

In duabus his scripturis haud liceat circumstantiam facti vel probationis adminiculum adducere, quod ante sententiam latam adductum non fuerit, secus ejusmodi novitatis nulla omnino ratio habenda est.

§. 202.

Præter dictas duas scripturas nulla amplius concedenda est.